


L. Herzog en Rath. 1788.

AXIMILIANVS



DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, RO-
manorum Imperator, semper Augustus, ac Ger-
maniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex
Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiq;
&c. Comes Palatinus &c. Honesto fidei nobis
dilecto LVCAE ALANTSÆ ciui nostro, &
Bibliopolæ Vienneñ. gratiam nostram cæsare-
am & omne bonum. Vidimus tabulas geogra-

phicas, VADIANIS commentarijs in Pomponium Melam adiunctas no-
bis tuo nomine oblatas. Quæ ut nobis mirum in modum placuerunt, ita
uehementer cupimus, ut ea forma ad omnium bonarum literarum studio-
sorum usum publicentur. Quod & si te haud grauare nostri gratia etiam
impensis magnis facturum sciamus. Ne tamē priuata res tua incommodes-
tur, quandoquidem indignum censemus laborem, impensas, & officia tua
pari aliorum opera secundariæ editionis defraudari, maxime ubi iussus uo-
tumq; nostrum intercedit præsentinostro cæsareo edicto, omnibus, & sin-
gulis, cuiuscunq; conditiōis existant, Chalcographis, & librorum impres-
soribus ubilibet locorum in sacro Romano imperio, etiam in terris nostris
hæreditarijs constitutis, sub pœna infra scripta districtius inhibemus, ne
præfatas Tabulas, & insigne etiam PLYNII opus quod tuis accepimus
impensis, à Thoma Anshelmo diligenti admodum Calcographo, in Mu-
nicipio nostro cæsareo Hagenogien. ad Hermolai Barbari castigationem,
una cum CAMERTIS nostri, ut laboriosissima, ita maxime utili Tabula
in primis, nec non alia opera, quæ iuxta priuilegium & gratiam nuper tibi
factam post præsentium datam sub nomine, & signis tuis edes, per Sexen-
nium a data editionis cuiuslibet talium Tabularum, operum, seu librorum
imprimere, aut alibi impressa intra Imperij & ditionum nostrarum limes,
& in eorundem locis uenundare præsumat, audeat seu attenter. Non ob-
stantibus quibuscunq; in contrarium emanatis aut concessis. Mandantes
omnibus & singulis nostris & sacri Imperij fidelibus dilectis, cuiuscunq;
status, conditionis, & dignitatis etiam si Archiepiscopal, Pontificalis, Ar-
chiducal, Ducal, Marchionalis, Baronialis, Nobilitaris, & alterius cuius-
cunq; præminentiae Magistratus seu officij, siue ecclesiastici, siue secularis
extiterint, sub pœna indignationis nostræ & sacri Imperij grauissime, atq;
decem Marcharum auri puri, pro una Fisco nostro imperiali, & pro altera
mediatibus tibi LVCAE totiens quotiens huic inhibitioni, uoluntati, &
gratiæ nostræ contra factum fuerit, applicandarum ut in præmissis tibi op-
portuno fauore adistant, ac omnes & singulos contra hanc gratiam, & in-

hibitionem nostram quicquam facere præsumentes huiusmodi indignationis nostræ & pœnæ sententiâ nostro nomine incurrisse protinus declareret, & cohibeant, sub artificio impressorum non utendi, amissionis quoque talium librorum sic (ut præmittitur) contra hanc nostram concessio nem, gratiam & priuilegium impressorum & adductorum. Teqz ubi eos per te uel tuos requisueris, tenore præsentium, aut harum transsumpto autentico, cui eam fidem adhiberi uolumus. Quæ his nostris presentibus adhiberi solet & debet, prefata nostra Gratia & Priuilegio frui & gaudere sinant, & ab alijs pariter obseruari faciant, in quantum & ipsi prædictas pœnas euitare maluerint. Harum testimonio literarum Sigilli nostri impreßione munita rum. Datū in ciuitate nostra Imperiali Augusta, die uicesima Mensis Iulij. Anno domini Millesimo quingentesimo decimo octauo. Regnorū nostrorū Ro. XXXIII. Hungariæ uero. XXIX.

Per regem p.

Ad mandatum Cæsareæ
Maiestatis proprium.

Jacobus Spiegel.